

S. R. 171. 48
#1

PARENTALIA,
Nobili & Clarissimo Viro,

DN. JOANNI LEB-
KICHERO WIMPI-
NENSI,

ILLUSTRIMUM ET GENEROSIS-
SIMORUM COMITUM AC DOMINORUM,
Dn. NICOLAI & CHRISTOPHORI de FRÄNGIPANIBUS
& THERSATZ; itémqve Dn. STEPHANI URSINI à BLAGAY:
necnon Generosorum Baronum ab ECK & c: aliorum-
qve Illustrium per 30. annos, & qvòd excur-
rit, Præfecto dexterrimo &
fidelissimo:

QVI ARGENTORATI, ANNO ÆTA-
TIS LVII. ANIMULAM SUAM CHRISTO SER-
vatori commendavit 21. Junij: cujus ergastulum ductis exequiis
ex ædibus Cl. Viri, Dn. Matthiæ Berneggeri, fidi Hospitis, ad D.
Gallum magnæ Matri insertum est, 24. Ejusdem, JOANNI
Baptistæ sacro, Anno Epochæ Chri-
stianæ, 1624.

Facta & inscripta à modestissimis Popularibus & Amicis.

ARGENTORATI,

Typis Excudebat JOHANNES REPPIUS.



I.

In Obitum Beatum,

Genere, doctrinâ, virtute, multiplici rerum usu &
experientiâ spectatissimi viri,

IOHANNIS LEBKICHERI.



Amne citò hospitium nostrum tibi sorduit? Ecquis

Te tamen audivit, IANE beate, queri?

Nemo queri audivit: sed mors inamabilis, eheu!

Tam citò te nostro surripit hospitio.

Quàm mihi res agra est! sed jam solatia firmant,

Te positum cælis, nunc meliore frui

Hospitio. ô felix tanti mutatio recti!

Intereat, qui non hospes ibi esse velit!

Desideratissimo hospiti hospes;

Matthias Berneggerus.

II.

T *Andem post varios casus, post longa viarum
Tadia, Trebocum vix requievit humo,*

Cùm LEBKICHERUS, lumen vitæ relinquens,

Quâ jacet Argyrope, salvus ad astra migrat.

Non stabilem poterat requiem promittere mundus.

Hanc Defunctus habet nobiliore loco.

Hic vestem exuitur, quam gessit saepe viator,

Namq; Dei merito qui coopertus, orat.

M. Casparus Brülövius, P. L. C.

Poët. Prof. & Gymnasiarcha.

III.


C *O Elestis jam plaude cohors, novus advolat hospes;*

Hunc ad vos Pietas Dexteritasq; vehit.

Quòd nos interea lacrymarum fundimus imbres;

Quòd nos pullatos sistimus ante fores:

Non



Non **LEBKICHERI** fortem, quia fausta, dolemus:
Sed quòd non comites nos habet, hócce ferit.

Johannes Paulus **Crufius**.

IV.

N Ec nimiùm velox, nimiùm nec tardus obivit,
Heic qui deposuit, quæ potuère mori.
Inter decrepitem medius sexumque virentem,
Sed jam canitie præproperante Senex.
Nempe Bonis semper solet esse intutor ætas,
Plus curæ, quisquis plus pietatis habet.
Multas iste oras, multas perviderat vrbes;
Sed viso scelerum sensit in orbe lucem.
In patriam rediit; morbus fuit omnibus vnus,
Totaq; Teutoniæ pure repleta Salus.
Quid mirare, pius toto si cesserit orbe,
Huic generi cum sit nullus in orbe locus?

B. Venator.

V.

Q Vi tot aquas, tot agros peragravit, ad astra citatus
Ad campos fœlix nunc abit Elysios.
LEBKICHERUS is est, celeri cui turba rotatu
Angelica ad cœli templa præivit iter.
Quiq; Deo fruitur, facie fruiturque Jehovæ;
Cum reliquis vivens perpete lege piis.
Et nunc morta tuum telum, tua spicula temnit,
Et quas evomuit terra maligna minas.
Qui sine conjugio vixit tam virgine mente,
Inter virgineos nunc agit ille choros.
O fœlix, cui contingit secessio talis,
Quo nolit quisquam posse redire modo.

Apposuit conterraneus,

IOHANNES IACOBUS AFFIUS
Wimpinensis.

A 2

It.

IT LEPKICHERUS, dives quò Tullius & Ancus,
 Ignoras Lector nomina? nota lege:
IT LEPKICHERUS, divus quò Paulus & Adam,
 Inq; redit terram victus agone necis.
 Poscit honor pietasq; Viri, multosq; per annos
 Explorata, aurum sicut in igne, fides;
Qui fuerit, qualisq;, æternis credere chartis.
 Ortu, virtute, & nobilis arte fuit.
 Hujus enim tritavos (quò erant hoc munere digni).
 Qui quondam hoc **Q**UARTUS nomine Cæsar erat,
CAROLUS, & clypeo & monumento armavit Equestri,
 Hinc lustra ante decem, secula & ante duo.
 Talia servârunt clari ornamenta nepotes,
 Et meus hic, quem mors abstulit atra, Senex:
Qui quoq; jam stantes in curribus Aemylianos
 Virtutis propriæ laudibus exhibuit.
 Nam neq; fœcundos consumpsit molliter annos,
 Nec steriles Lunas, & sine honore, tulit;
 Sed cupida æternis saturavit corda Camenis,
 Socraticos volvens nocte diq; libros.
 Nec malè grandisonâ tentavit arundine carmen,
 In teneros cogens verba coire pedes:
 Nec geminos obiter legit sensimq; libellos
 Juris, at eximius Baldus & Aldus erat.
 Tantus hic & tantus, si gaudes singula nôsse,
 Singula non isthæc charta, nec una, capit.
 Austria testis erit, pingvisq; Carinthia testis,
 Carniola, & Veneti; & Roma, ferusq; Ligur:
 In quibus ille locis, terrâ jactatus & alto,
 Ultra sex olim vixit Olympiadas.
 Nec solus: sed enim Barones duxit avitos,
 Et Comites, quorum tum Moderator erat;
ECCIADES dicunt illos, hos sanguine **B**LAGAY,
Quos **U**RSINORUM nomen & omen alit.

Adde

Adde sed Ausonidum decora antiquissima, **FRANGI-**
 Qvorum olim **PANES** Roma vocavit avos:
 Qvorum ope Bela sui reparavit viscera regni,
 Tartaricas sternens Marte feroce manus.
 Scire cupis Patriam, quâ primùm ceperit auras?
WIMPIA, quâ quondam sustulit Hunnus, erat.
 Quâ ferus imbelles viciavit & Attila matres,
 Mammisq; exactis ense necavit eas;
 Unde tenet nomen qui mons conterminus urbi est,
Duttenberg etenim flebile nomen habet.
 Cætera non addam illibata encomia vitæ,
 Quàm pius in leges vixerit atq; Deum.
 Maluit hunc propter spretissimus exul & infons
 Indugredi incertas, & freta vasta, vias.
 Quàm semel acceptam rellinqvere turpiter aram,
 Et procul à veris cultibus ire **DEI**.
 Jamq; tribus vitam venalem pertulit annis,
 Antè nec in tuto quivit ovare loco.
 Ut nunc est mundus, fatis assvetus amicis,
 Nec solitus fortis ferre furentis acum,
 Mille alii legem, Dominumq; Deumq; negarent;
 Tam durum placidè quàm paterentur onus.
 Sunt adèd pauci, qui **CHRISTUM** utroque fatentur
 Tempore, sive bono tempore, sive malo.
 Talibus attritus tribulis, tantisque periculis,
 Dediticit, blandi quid sit amoris iter?
 Vel nunquam didicit, nullâ prurigne carnis
 Motus, conjugii noluit ire jugum;
 Firma pudicitia sed amavit vincula, donum
 Quale pecus Monachum non habet; ille habuit.
 Donec lustra decem, & sex anni tempora complens,
 Et menses totidem, finiit orbe diem:
 Finiit, & perquam bene; nam sacra usus *ay. 179*
 Pridiè in æde **DEI**, quàm moreretur, erat.
 Instantis nondum callens contagia morbi,
 Quo tamen & cœpit debilis esse die;

Et properè absumi, dum defillante catarrho
 Altera lux mortis fanciit huic requiem;
 Inq; beatorum cœlestem transtulit aulam
 Castam animam, & statuit tergeminum ante Deum.
 Qui putat hoc autem non fundi in funere fletus,
 Quòd non hic gnatum ploret uterq; parens,
 Nec fratrem qverulâ miserentur voce sorores,
 Nec patrem soboles, nec pia costa virum,
 Fallitur: hi siquidem leto cecidisse parentes
 Sæpe volunt, sobolem sæpe, virum atq; nurum.
 Sed neq; spectatur Romano præfica ritu,
 Quæ laudet conducta, & fleat ære virum.
 Non opus est: adsunt quibus est dolor, esse perematum,
 Nempe BONI & DOCTI, cum quibus ille fuit
 (Dum fuit) intacto fidei conjunctus amore:
 Hi flent, & lacrymis ora sinumq; rigant:
 Qualiter æterno natorum pallida luctu,
 Et duris Niobe exercita funeribus,
 Horruit in saxis, & guttatim undiq; lymphas
 Hinc atq; hinc mœsto depulit è Sipylo.
 Aut nondum oblita fratris Phæ tusa gemebant,
 Et Phœbe, & ramis obsita Lampetie:
 Quas neq; grata Ceres, neq; curarum exitus omnium
 Humida nox blando absterruit obsequio:
 Sed sol occiduus, sol ortus, & aurea semper
 Viderunt madidis sidera corticibus.
 Taliter & docti lugent, & turba bonorum
 In LEPTICHERI funere pulla sui.
 Quo cum deliciæ, quo cum mea gaudia fracta,
 Et Musæ & Charites funditus occiderunt!
 Quo cum abiit pietas & virtus, ceu vapor olim
 Ludibrium ventis spargitur Aeoliis.
 Quo cum plectra jacent, & quæ me-cunq; juvabant:
 Nec mihi jam lux est, nec mihi grata dies.
 Namq; quod hic cæmen morituro molle GIONERO,
 Si me Cunctipotens jusserit antè mori,

Fecisset

Fecisset: facere invitus, facere aeger, & eheu
Semianimis cogor, semiq; ruptus homo!
En tamen incipio: Pater optime! & ó Meccenas!
O animá mihi dilectior atq; oculis!
Sic cadis? & Vatem irrides in fluctibus Orbis?
Nec sine te vates ille erit: ille fuit!
Sic cœpi: at lacrymis & singultu interventus,
Heu! plura ut volui, desii! —————

Mæstissimus

M. Samuel Glonerus, Argent.
P. Laur. & patrii Gym. Coll.

VII.

Qui mores hominum multorum vidit & urbes,
LEBKICHER, Jovam nunc videt atque pios:
Duxq; Comesq; via terrena erat ipse Baronum,
Jam supera Christus Duxq; Comesq; via.

AD DEFUNCTUM.

In terris via vita fuit tibi longa per Orbem:
Jam brevis ad cælum mors via, vit a tibi.

Jac. Barschius Lauba-Lusatius,
Phil. M. & P. Cas. Philiatæ.

VIII.

LEBKICHER. ROMAM vario discrimine rerum
Vidit, terrestris quæ caput orbis erat;
Sanctam nunc SOLYMA subito discrimine mortis (Apoc. 6. 21.)
Cernit, cœlestis quæ caput orbis erit.
In SOLYMA Christum subito discrimine mortis,
ROMAM Antichristi dum fugit, ille petit.

M. Jacobus Schaller Argent.

IX.

De Cl. Dn. Defuncti
Schlecht vnd recht behüte mich.

Dum

^{1.}
Dum natura tibi vires vitamque regebat,
vix fueras charus, quævis **D**OLUS est animo,
quos hodierna solent **P**RUDENTES dicere secla,
cum vix virtutis pavcula signa habeant.
Verum **S**INCERI concedit rectus honorem,
& te germanamque fidemque beat.
Namque tibi linguæ & cordis fuit optimus ordo,
cor sensit rectum: lingua locuta bonum est.
Et quid? tu totus divinam in lege fuisti,
hinc recti & veri semper amator eras.

^{2.}
Gaudia percipiens agitata per ætheris avlam,
angelico recinente choro suavissima voce
carmina, Relligio, casto sic incipit ore:
Des mihi, des tibi, des, rex mansuetissime, **J**ESU,
Complures, his in terris qui corde sequantur
Constanti cursum, tenuit quem nocte dieque
in cœlis novus hospes, erat dum sospes in orbe.

^{3.}
Magna tibi heroum fortissima facta celebrans
sancta poësis erat.
Illius numeris fallebas tempora, plenus
quando laboris eras.
Pro numeris laudum numerum tibi nectit, & infert
innumeris numeris te studiumque suis.

^{4.}
Curarum anfractus vitati, incommoda pulsa,
quæ regio vidit, peregrino cognita cœlo.
Post varios tandem casus, post multa pericla
à cœno in cœlos, à rastris itur ad astra.

^{5.}
Sedulus atque sagax didicisti juris ad unguem
præscriptum: nullum læsisti duplici corde;
Sed gratus summis, mediis, imisque fuisti.

M. Joh. Gütherus, P. L.

F I N I S